



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

54. Brauus in Soc. à Xauerio admittitur, & instituitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

cobi maximè de Sofa cognati, nauis prætorie ad Molucas Præfecti. Tot documentis probatum Xaverius admittit in Societatem, nactusque idoneum virtuti minimè vulgari, per se primùm illum instituit; deinceps proutquam Iaponiam peteret, scripto illi regulas tradidit paucas illas, sed absolutissimæ virtutis, has è vernaculo Latinè hic reddo, & quod tanti magistri dictata sunt, & quod non solis religiosis esse vsui possint, ad vitam perfecti Christiani.

54

Bravus in Soc.
à Xaverio ad-
mittitur, & in-
stituitur.

[Bis quotidie ait animum colliges, manè mox vbi surrexeris; priusquam decumbas vesperi, & horam vt minimum aut sesquihoram, meditabere aliquid de Christi vita, in quo præceptis à P. nostro Ignatio, libello Exercitiorum inhærebis, tum in mysteriis diuidendis, tum in principio, progressu, & fine meditationum. Claudes verò illas manè, ac vesperè, votorum instauratione, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quod iuge sacrificium est, deoque gratissimum in templis viuentibus mentium religiosarum, quo robur gratiæ augetur, ad hostem fortiter repellendum; cauebis vnquam nisi post examen conscientie decumbas, reuocatis exacti diei cogitationibus, verbis, atque operibus, & tam exquisitè notatis lapsibus, vt notares ad confessionem, inde petita eorum venia, & deliberata forti proposito emendatione, semel Pater, & Aue recitabis. Tum per breue tempus modum inibis corrigendi tui, ac perficiendi. Eritque prima hæc post somnum cogitatio matutina, eorum quos sero notaueris recordatio lapsuum, pudor, & detestatio. Dum autem indueris & instantem prospectas meditationem, Deum roga, ne illo die patiatur in nouas offensas recidere, quæ optima quoque est comparatio ad meditandum. Religionis summæ duces, partem vel minimam horum Officiorum omittere, vel ordinem mutare, quod si fortè continget, nisi legitima ex causa, diem illum non fines abire, quin tuam illam enuncies & punias culpam. Magna cura incumbas in tui victoriam, cupiditati tuæ vbique obnitens, vbique illi contraria, & molesta consecretans. Quære in omnibus deprimi, & contemni, nam si humilitate sancta carueris, nec ipse in virtutis cursu promouebis, nec per te alij, nec esse Sanctus, & Deo acceptus; demum neque in Societate hac minima durabis, quæ arrogantes & superbos, sui que iudicij, ac honoris tenaces non tolerat, vt quibus satis cum nemine conuenit. Ad hæc sequitur vt tuis moderatioribus quicumque illi sint, & quicquid iusserint, nihil aduersando, nihil excusando, perinde integrè, celeriterque obedias, vt si Pater noster Ignatius iuberet. Iisdem similiter animi tui rationes explicabis omnes, euolutis coram singulis illius in prauum motibus, & propensionibus naturæ vitiata, alioqui non possent malis tuis opportuna curare remedia, fit enim sapius vt illa demissio quæ se alteri curandam subiicit (quantò magis Rectori) dæmonem abigat. Qui cum fraude sit quàm viribus fortior, deprehensis fraudibus, absistit. Adde quod ab iis quos Deus apud nos suas vices tenere voluit, securius semper, & expeditius diuina lux & gratia quæritur.] his ille nouum Christi militem imbuebat.

Ecce